



Disciplinae Speculativae generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singulae etiam conveniunt Disciplinae:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reperiuntur, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in ipsis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reperiuntur, et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K^o F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~

28
SPECIALIS
METAPHYSICÆ
DISPUTATIO VIII.

De
RELATIONIBUS ET
RELATIVIS PRÆDICAMEN-
TALIBUS,

Quam,

Auspicio Summi Numinis,

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,

Croppenstadiâ Halberstadenſis Saxonis,
Amplifs. Facult. Philof. Adjuncti,

In,

incluta WITTEBERGENSIUM ACADEMIA

Placido & publico examini submittit

WOLFFGANGUS BRATER Byruthino
Francus,

In Auditorio Philosophico,

Ad diem 17. Aprilis horis à 7. matut.



WITTEBERGÆ,

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,
Acad. Typogr.

ANNO MDCXXIV.



SPECIALIS METAPHYSICÆ
DISPUTATIO VIII

Continuatio.

RUe usque habuimus accidentia absoluta, sequitur *Relatum*, quod ultimum est inter primaria accidentia. Cujus ratio cum longè lateque se diffundat adeò, ut vix ullum Ens adinvenire liceat, quod non aliquam realem relationem admittat, eò lubentius pervestiganda venit: in primis etiam eò exactius de natura Relatorum disquiramus oportet, quod hodiè Ramista quidam certamen excitavit de *Relationibus personarum divinarum*, quasi ἀπόλογον & ἀφιλόσοφον sit tres personas in divinis dicere tres relationes. Ut ergo quid hic tenendum sit, apertius innotescat, cum bono DEO ad Relatorum Relationumque evolutionem properamus.

THESIS I.

Relatum *in universali* dicit respectum aliò terminatum, ut *Relatum* ipsa vox *Relati* satis aperte innuit. Aliàs dicitur *Respectivum universale*, quia respicit aliud sive habet essentiam aliorum terminatam: item dicitur *Ad aliud*, τὸ πρὸς ἕν: ibi vocula *Ad* innuat respectum: Vocula verò *Aliquid* illum respectum terminat, uti explicat Armand. de bello visu lib. 2. term cap. 171.

II. Hinc *Relatio generalissime sumpta* describi potest, *Relatio generaliter* quod sit *ratio referendi unum ad aliud*: quomodo quævis *generaliter* habitudo & quivis respectus ad quodvis dici potest *relatio sumpta*. *Eustach. sum. Phil. tom. prior. tract. 3. de Categ.*

III. Sic etiam *Aristoteles* *Relata* in genere describit: *Arist. in κατὰ πρὸς ἕν λέγειν καὶ τὸναῦται, ὅσα αὐτὰ, ἀπὸ ἐπὶ ἑτέρων εἶναι λέγειν, ἢ τὸ πρὸς ἕν ἰπὸς ἑν, ἄλλως πρὸς ἑτέρον.* Ad aliquid dicuntur, quæcunque τὸ πρὸς ἕν

id, quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quocunq̄ue alio modo ad aliud referuntur.

IV. Sciendum verò, quod *Relatum hoc loco non ita late & generaliter accipiatur pro quovis respectivo, sed determinatum intelligitur*, quod reliquis entium generibus, & accidentibus absolutis contradistinguitur.

V. Similiter *nec quavis relatio est hujus loci*. Non enim omnis habitudo relativa contradistinguitur aliis accidentibus: cum etiam *omne Accidens, quatenus accidens, involvat aliquam relationem* seu habitudinem ad subjectum, cui accidit. Et *per multa accidentia ut facultates & habitus operativi speciales habent respectus ad fines & objecta*, circa quæ versantur.

Quenam
relata hic
intelligan-
tur.

VI. Itaque ne omnia entia, aut omnia accidentia putes relata propriè dicta esse, observes, quod *relata hic sunt talia accidentia, quorum esse aliud nihil est, quam ad aliud se quodam modo habere*. Igitur totum esse relatorum propriè dictorum erit ad aliud esse. Aliàs *relata secundum esse & predicamentalia* dicuntur. De his Suarez ait: Relata sunt ea, quæ totâ suâ essentiâ sunt Relata.

Relatio stri-
ctè dicta
quid sit.

VII. Et *Relatio strictè dicta est ea, per quam formaliter aliquid refertur ad aliud, non tanquam ad subjectum aut objectum, aut finem, sed tanquam ad terminum*: neque est pars essentialis ullius alterius accidentis, neque etiam ullius differentiam exprimit; sed illa Relatio propriè dicta, est accidens reale, *cujus tota ratio est ad aliud*: qualis est paternitas, filiatio, dominium, servitium, præceptoreitas.

Relatio
rationis.

VIII. Quibus conditionibus observatis facilè innotescet, quod ab hoc genere Relatorum excludantur, primò *relationes rationis*. Hæ enim non sunt accidentia realia, neque *verum esse relativum ponunt extra intellectum*, sed unicè dependet illarum totum esse à nostrâ mente; relationem aliquam fingente aut concipiente: qualis relatio est *rei*
cogni-

*cognita ad intellectum cognoscentem: item rei v[er]sa ad oculum
intuentem. Talia relata rationis sunt Genus & Species, subje-
ctum & predicatum, definitio & definitum, dexter & sinister
in columna &c. Hæc enim omnia suum esse relativum ha-
bent à ratione & mente nostra.*

IX. Deinde hîc excluduntur *Relata secundum dici*, quæ *relata se-*
per se primò sunt entia absoluta, & saltem secundariò ex *secundum di-*
consequente aliquem respectum seu ordinem admittunt ad *ci.*
aliud: Ut scientia refertur ad rem scitam: amor ad rem ama-
tam. Quæ relata secundum dici pertinent ad genera entium
absolutorum: cum essentia ipsorum in se sit absoluta, & in
se terminata.

X. Rectè Suarez ait, *Relatio secundum dici est res, qua*
concipitur & explicatur, seu dicitur per modum respectus,
cum in re ipsa verum respectum non habeat. Unde & Relata
secundum dici non sunt verè Relata, sed concipiuntur & ex-
plicantur ut Relata, eò quod concomitanter & consequen-
ter inferant respectum ad aliud. Ut potentia Dei in se ex par-
te rei est absoluta essentia: interim nos illam concipimus per
respectum ad possibilia. Sic intellectus refertur ad verum: vo-
luntas ad bonum. Quæ sanè relatio saltem nominatenus est re-
latio. Ut ita meritò dicatur (non secundum esse sed) secun-
dum dici: Scilicet dicitur relatio, sed reveran non est, ut ex-
plicat Dn. Scheib: l. 2. Metaph. c. 9. tit. 1. n. 6.

XI. Præterea sciendum est, quod nec omnis relatio re-
alis, nec omne relatum secundum esse sit hujus loci. Tri- *Triples Re-*
plex enim adhuc est, *Subsistens, Transcendentalis & inbarens* *latio realis*
seu Prædicamentalis.

XII. *Relatio subsistens est substantialis, & tribuitur per-* *Subsistens.*
sonis S.S. Trinitatis, quæ respectum realem & verum ad se
mutuo habent, ut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, item-
que Spiritus sanctus ad utrumque, quia Spiritus est utrius-
que, nempe & Patris & Filii.

XIII. *Iste autem respectus inter personas Divinitatis, cum nullo modo sit accidens, sed ῥεῶν & seu modus substantialis & subsistens: quippe persona: idcirco illa relatio benedicatur subsistens.*

Transcendens.

XIV. *Relatio Transcendentalis est habitudo & respectus realis communissimus, qui omnia entium genera pervagatur: qualis relatio est inter terminos Metaphysicos, utpote inter actum & potentiam: inter causam & causatum: inter materiam & formam: uti supra disput. 18. thes. 50. & seqq. disputavimus. Confer Suarez disputat. Metaph. 47. sect. 3.*

XV. *Hæ duæ relationes, Subsistens & Transcendentalis, licet reales sint, non tamen constituunt hoc determinatum entis genus, de quo nunc agimus, neque adrelata entia strictè dicta à reliquis entium generibus distincta pertinent, sed altioris sunt naturæ & longè transcendunt hæc relata tum nobilitate entis, tum latitudine & communitate.*

Predicamentalis & Inherens.

XVI. *Sola ergo remanet relatio inherens & predicamentalis. Et hæc est hujus loci. Hæc enim distinguitur ab omnibus aliis entium generibus: & distinctum entis genus constituit. Dicitur autem inherens, quia est accidens, indeque instar accidentis inhæret alteri tanquam subjecto. Predicamentalis autem appellatur, quia in determinato & certo prædicamento collocatur, nempe in prædicamento Relationis, quod constituit absolvitque.*

Natura Relationis predicamentalis.

XVII. *De hac predicamentali relatione notanda sunt tria. 1. ejus natura & quidditas. 2. Varietas & distinctiones ejusdem. 3. proprietates.*

XVIII. *De natura relationis predicamentalis sciendum est, tum quænam proprie sit ejus quidditas, tum quibus requisitis absolvatur.*

Quid sit.

XIX. *Quidditas relationis explicatur tali definitione: Relatio inherens & predicamentalis est accidens essentialiter ordinata*

ordinatum ad alium terminum, ita ut totum ejus esse in referri ad aliud consistat.

XX. Primo dicitur *Accidens*, licet enim relatio de se quatenus relatio est, dicat *esse AD* sive respectum ad aliud, non verò *esse IN* sive existentiam in alio tanquam in subiecto: tamen relatio prædicamentalis unà includit illud *in esse*, estque in alio tanquam in subiecto: & sic est accidens verum & reale.

XXI. Porrò dicitur: est accidens *essentialiter ordinatum*. Non enim sufficit, ut accidentaliter aut consequenter & secundario referatur ad aliud: sed per suam essentiam propriam, suaq; naturâ, debet ordinari seu referri ad aliud. Hoc quia non fit in relatis secundum dici, idcirco illa non sunt vera realia relata, ut modo visum est.

XXII. Præterea additur *essentialiter ordinatum ad alium Terminum*. Non enim sufficit si referatur ad aliud tanquam ad causam, vel subiectum, vel finem, vel objectum. Sic enim etiam Transcendentalia referuntur ad aliud, quæ tamen hic excluduntur: sed vera relata prædicamentalia debentur referri ad aliud tanquam ad Terminum, & quidem tanquam *ad purum terminum sub unica termini ratione*: ita scilicet ut tota relatorum essentia terminetur in alio termino, nec ullum aliud munus, aut officium termini isti relationum exerceant, nisi respiciendo ad invicem & se ipsos invicem terminando. Sic Pater refertur ad filium. Præceptor ad discipulum, emtor ad venditorem, &c.

XXIII. Deniq; & hoc requiritur, ut *totum Relationis & relati prædicamentalis esse* consistat in referri ad aliud. Nam si aliud in se esse haberet, jam non esset suâ naturâ relatum quid, sed absolutum. Sicque etiam non per se primo, sed consequenter respectum adeoq; definirent esse vera relata secundum esse & prædicamentalia.

XXIV. Summatim ita dico: *Relatio prædicamentalis est*

est ejusmodi accidens, quod essentialiter est respectus certus & determinatus ad terminum, ita ut aliud esse non habeat nisi in illo respectu ad suum terminum actualiter existentem.

XXV. Unde & Relata prædicamentalia sunt accidentia ejusmodi, quæ tali ratione & respectu referuntur ad alium terminum, ita tota suâ essentia sint relata.

Requisita
relationis.

XXVI. Cæterum *requisita vera relationis* sunt 1. duo termini, Relatum & Correlatum. 2. Subjectum. 3. Fundamentum. 4. Opposita relatio. Omnis enim *relatio* versatur *inter duos terminos*, quorum unus dicitur *Relatum*, alter *Correlatum*. Deinde est in *certo subjecto*; habet insuper suum *certum fundamentum*, in quo radicitur & quo mediante inest substantiæ ceu subjecto: & tandem ipsi opponitur *aliarelatio*.

XXVII. Et hoc est, quod aliâs in veris Relatis hæc sex distinctè attendantur & urgeantur. 1. *Relatio*. 2. *duo termini*. Relatum & Correlatum 3. *subjectum*. 4. *Fundamentum*. 5. *ratio fundandi*. 6. *opposita relatio*.

Relatio.

XXVIII. *Relatio distinguitur à Relato*. Relatio enim est *abstractum seu forma abstracta*, per quam *relatum refertur ad aliud*, hoc est, relatio est ipsa habitudo realis, ob quam relatum est & dicitur, ut paternitas & filiatio in patre & filio; item dominium in domino. *Sed Relatum est concretum*,

Relatum.

quod *mediante relatione refertur ad aliud*. Ut pater & filius sunt relata. Item Dominus & servus. Confer. instit. Log. Rev. Excell. Dn. D. Jac. Mart. lib. 2. de Prædicam. cap. 7.

Termini.

XXIX. *Termini Relationis* sunt, inter quos versatur relatio, & in quibus terminatur, & quiescit relatio: utpote, filius est terminus paternitatis, & pater est terminus filialitatis.

Relatum &
Correlatum
ratione dif-
ferunt.

XXX. Termini aliâs dicuntur *Relatum & Correlatum*, simul sumpta. Ubi sciendum, quod *relatum & correlatum saltem ratione differant, non autem re ipsa*. Relatum dicitur ipsum

ipsum ~~neg~~ ^{quod} refertur ad aliud ut pater, sed *correlatum* vocatur *αὐτὸς ὁ* nempe, id ad quod refertur aliud, ut filius.

XXXI. Planius ita docet Bartholinus: *Termini* (relationis) *sunt duo correlativa, quæ ad se invicem referuntur. Unus dicitur ad quem; alter à quo vel potius in quo. Nam relatio v. g. paternitas est in uno (patre) ut in subjecto inhesionis: in altero autem, ut in termino descendenti, ad quem relatio refertur. Accidens enim unum est in uno subjecto, non in pluribus. Non ergo dico: paternitas est in patre & in filio, sed in patre ad filium.* Enchirid. Log. lib. i. part. comm. c. 18.

XXXII. *Subjectum relationis est substantia, in qua instar subjectum accidentis hæret relatio. Aliàs vocatur fundamentum remotum, itemque extremum. Necessè autem est duobus correlativis subfieri duo subjecta. V. g. Filius est in hoc subjecto, quod est Isaac aut Jacob &c. sed Pater est in alio, quod est Abraham respectu Isâaci.*

XXXIII. *Fundamentum relationis est ratio seu causa, Fundamentum ob quam subjecto convenit relatio: estque semper accidens alium. quod, nempe vel quantitas vel qualitas vel actio. Sic si Petrus est æqualis Paulo, illius fundamentum relationis est quantitas. Sic qualitas est fundamentum similitudinis aut dissimilitudinis: vis generativa paternitatis fundamentum est: vis coërcendi est causa servitus: emtio & venditio fundantur in ipso actu contractus.*

XXXIV. Præterea non rarò accedit *ratio fundandi, Ratio fundans* quæ proximè cohæret cum fundamento, estque id *ratione dandi. cuius convenit fundamento esse fundamentum.* Aliàs dicitur *proximum fundamentum.* Sic *unitas quantitatis* est ratio fundans æqualitatem: itemque *unitas qualitatis* est proximum fundamentum similitudinis. Scil. quantitas illa, ob quam Petrus & Paulus dicuntur æquales, quat. una est, proximè fundat illam æqualitatem: Alias enim planè non esset æqualitas inter correlata.

B

XXXV.

XXXV. Denique *opposita relatio* est respectus correlati ad oppositum relatum, ut filialitas est respectus filii ad patrem tanquam ad oppositum relatum: Unde filialitas est relatio, quæ opponitur paternitati: item servitus Dominio.

XXXVI. Quæ omnia facilius intelligi & perspici poterunt ex tali schemate.

RELATIO.

PRÆCEPTOREITAS.

Relatum	Præceptor	Termini	Discipulus	Correlatum.
Subjectum	Aristoteles		Alexander Mag.	Subjectum.
Fundamentum.	Eruditio		Capacitas ingenii	Fundamentum.
Ratio fundandi.	Applicatio eruditionis.		Diligentia	Ratio fundandi.

DISCIPULEITAS.

RELATIO *Opposita.*

XXXVII. Erudite de his sex relatorum requisitis docet Rev. Excell. Dn. D. Jac. Mart. lib. 2. Exerc. Metaph. theor. i. his verbis: *Quò hujus relationis essentia melius investigetur & intelligatur, oportet sex istos terminos relata constituentes explicare. Primum est concretum sive totum, nempe id, quod refertur, ut Socrates Pater: vocaturq; illud relatum & correlatum. Deinde est absolutum, quod sustinet Relationem, vocaturq; externum sive subjectum, ut Socrates. Tertio sunt termini, nempe ad quos proximè & immediate desinit relatio. Ut Pater & Filius. Quarto est ipsa relatio, quæ nihil aliud est quam ipse respectus inter duos istos terminos, ut paternitas. Quintò, quia hic respectus propter debilem suam entitatem enti absoluto in se sumto inesse nequit, requiritur fundamentum, quod est accidens quoddam, ad sustentandam relationem subjectum disponens, idq; quadruplex datur: Quantitas, Qualitas, Actio, Passio. Quàlibet enim illarum & quidem solà in substantiis positâ, ponitur relatio, & destructâ, eadem quoq; destrui-*

destruitur. In adducto exemplo fundamentum est vis generati-
va, quâ alter potuit generare, alter generari. Sexto & ulti-
mo, si unum illud accidens non suffecerit, sed præterea alia re-
quiratur conditio (quod tamen non ubiq; evenit) vocatur illa
ratio fundandi. Ut vis ista generativa fundamenti rationem
paternitatis non absolvit, nisi accedat ratio hæc fundandi sive
fundamentum proximum, quod est applicatio facultatis gene-
randi. Quando itaq; dōvauis illa conjungitur cum hac applicatio-
ne, qua in *ἰσσυεία* consistit, oritur perfecta actio, que bujus
relationis fundamentum verum constituit & absolvit. Hæc
ille.

XXXVIII. Hæc de natura Relatorum prædicamen-
talium, sequuntur distinctiones. Inprimis notabilis est illa *Relata mu-*
distinctio, quâ *Relata* alia dicuntur *mutua*, alia *non mutua*. *tua.*

XXXIX. *Relata mutua sunt, quando ambo, nempe Re-*
latum & Correlatum, habent respectum realem, ad se mutuo,
ut Pater & Filius: Dominus & servus, Præceptor & disci-
pulus.

XL. *Relata non mutua sunt, quando ex altera parte re-* *Relata non*
alis, ex altera verò tantum rationis relatio est, ut scientia & *mutua.*
scibile. Anima & Corpus. Anima quidem est corporis ani-
ma, ad eò que realiter refertur ad corpus: sed non ita cor-
pus est animæ corpus. Igitur hoc saltem rationis respectum
habet ad animam. Similiter accidens habet realem *ἔξω* ad
substantiam: manente e contra substantia ad accidens. Sunt
ergo Relata non mutua.

XLI. Deinde *Hunneus* dividit *relata* in ea, que sunt
ejusdem nominis, & in ea, que sunt diversorum nominum.

XLII. *Relata* ejusdem nominis vocat, quorum funda- *Relata*
mentum & terminus eodem appellantur nomine, ut sunt con- *ejusdem na-*
discipuli, similia, dissimilia, æqualia, socii, cognati, vici- *minu-*
ni, &c.

Relata di-
versorum
nominum.

XLIII. *Relata diversorum nominum sunt, quorum fun-*
damentum & terminus diversis nominibus efferuntur. Et hæc
vel digniora sunt correlativis, ut Pater, Magister, duplum,
causa, totum, dux &c. vel indigniora correlativis, ut disci-
pulus, filius, dimidium, effectum, pars, miles. Plura vide
in part. Metaph. Dn. D. Jac. Mart. lib. 2. sect. II.

Proprieta-
tes relato-
rum.

XLIV. Tandem sequuntur *proprietates relatorum,*
quorum sex enumerantur à Philosopho. 1. *recipere con-*
trarietatem, ut apparet in relatis secundum dici. 2. *reci-*
pere magis & minus, quæ tamen duæ proprietates non con-
veniunt omnibus, sed iis saltem, quæ in qualitate fundan-
tur. 3. *dici ad convertentiam.* 4. *esse simul.* 5. *mu-*
tua cognitio. 6. *se mutuo definire.* De quibus nunc por-
rò fufius dicetur in axiomatibus sequentibus.

A X I O M A T A.

1. *Relatio naturâ posterior est & indignior quovis acci-*
dente absoluto. Dependet enim ab illo tanquam ab unico
suo fundamento, à quo totum esse derivat. Intellige verò
relationem prædicamentalem & inhærentem. Hæc enim,
licet sit res extra animum: tamen tam debilis est & infirma,
ut nisi accidente alio firmiore fulciatur substantiæ, inhære-
re non possit: ut duplum & dimidium sunt relata. Inest vero
illa relatio substantiæ propter numerum. Et hoc est, quod
dicitur aliàs: *Relatæ sunt minimæ entitatis.*

2. *Relatio subjecto addita compositionem realem non efficit.*
Item Relatio non facit mutationem substantialem in subjecto.
Nihil enim ex parte rei distinctum diversumque superaddit,
sed saltem aliorum quasi trahit & terminat rem planè ean-
dem v. g. quando aliquis accipit discipulum, tum fit præce-
ptor, sine omni sui mutatione & absque superadditione no-
væ entitatis: saltem mutua *græcis* & habitudo ad invicem.
con-

confurgit inter duo illa extrema, quorum unum est præceptor, alterum est discipulus. Quod si hoc est in animi relatione, etiam prædicamentali, multo minus *Relatio subsistens, quæ est inter personas divinitatis*, efficiet ullam compositionem. Frustra ergo Photiniani ex distinctis relationibus commentantur compositionem realem. Sanè in uno homine permultæ esse possunt relationes reales sine omni compositione, ut si v. g. Petrus est, Pater, maritus, professor, Dominus &c. istæ relationes Petri non ponunt in Petro aliquam novam entitatem, ut ita componant superaddendo aliquid diversi: & tamen revera sunt respectus reales. Aliter enim agit Petrus quatenus est Pater, & aliter agit quatenus est Dominus vel Professor &c.

3. *Relatio potest à subjecto tolli, non tantum eo salvo manente: sed quoque IN SE NIHIL MUTATO sive ALTERO. Huc quadrat illud Philippi: potest manere materiale, etiam sublato formali*: Sic si moriatur uxor, tollitur relatio mariti ad uxorem, ipso nihilominus existente illæso & immutato.

4. *Relata se mutuò constituunt*. Unde etiam sibi mutuæ dicuntur esse causæ. *Relati natura & essentia consistit in correlato*. Zab. lib. 1. de Mat. prim. c. 9. Item *Relatorum alterum ab altero pendet secundum essentiam & existentiam*. Zab. ibid.

5. *Relata sunt simul naturâ & tempore*: quia se mutuò ponunt. *δὲν τὰ πρὸς ἑαυτὰ φύσιν εἶναι*. Arist. in categ. c. 7. Falsum ergo est, quod sacramenta & gratia divina sint Relata secundum esse. Sacramentum enim est causa gratiæ divinæ. E. prius naturâ.

6. *Relationes ad introductionem & conservationem sui non necessario egent locali contactu*. Scil. potest aliquid esse alteri simile: licet remotissimum sit ab ipso.

7. *Relata sunt æque nota*. Unde relatorum uno distinctè cognito & alterum cognoscitur. Relatum unū qui perfectè

novit, novit & reliquum. Etenim unius relati cognitio distincta pendet ab alterius cognitione distincta. Et Relatum cognoscitur per correlatum. Intellige vero relatum quatenus est tale. Alias multa esse possunt in eo, quod correlatum est, quæ non statim cognoscuntur, cognito relato.

8. *Relata se mutuo definiunt*, quia ex se mutuo cognoscuntur, ut qui unum definite noverit, noscat & alterum. Sic pater est, qui habet filium: & contra filius est, qui habet patrem.

9. *Relata inter se convertuntur* scilicet perfecta. Item omnia relata dicuntur *ἀντιστρέφοντα*: Hinc pater est filii pater, & contra Filius est Patris filius. Relatum cum suo correlato reciprocatur.

10. *Relatum non dicitur esse alterum*, sed alterius relati relatum. Sic relata sunt, quæ id, quod sunt, aliorum esse dicuntur: ut pater non est filius, sed filii Pater. Igitur quia in casu recto dicitur panis Eucharisticus est corpus Christi, merito concluditur, ibi non prædicari signum & signatum ut relatum & correlatum.

SOLI DEO GLORIA.





Ad Dn. Respondentem.

Sæpè seges parvos frugum minitatur acervos,
Ut vel spem nullam Cultor habere queat:
Cum venit ad messem pleno se mergite jactat,
Fallit & agricola spesq; minasq; sui.
Et Vitis constricta gelu defuncta videtur,
Nec magis prædulces progenerare botros:
Sed mox luxurians vivo se palmitè fundit,
Et præbet pleno pinguis musta lacu.
Sic BRATERIA DE patria virtutis imago,
Jam latè ingenii semina docta virent.
Quin jam maturos potis es decerpere fructus,
Quùm messis soleant anticipare dies.
Hoc præsens specimen tam culti comprobat agri,
Qui posthinc plures proferet artis opes.
Perge Sophistarum BRATERE retexere nodos
Nec non Calvinis Pontificisq; dolos.

πολυφιλίας ἐνεκα
faciebas

ANDREAS KHAN Wirsbergæ
Francus.

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS



AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$


ULB Halle

003 357 104

3







B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

28

L I S
Y S I C Æ
D V I I I .

I B U S E T
D I C A M E N -

U S ,
N u m i n i s ,
D I O

S C H A R F I I ,
d e n s i s S a x o n i s ,
f. A d j u n c t i ,

U M A C A D E M I A
ini submittit
R A T E R B y r u t h i n o

o s o p h i c o ,
is à 7. matut.

R G Æ ,
T I A N I T H A M ,
g r .

X X I V .

